

doloris levamentum studia confugio; quae praestant, ut adversa magis intelligam, sed patientius feram. Est autem mihi moris, quod sum daturus in manus hominum, ante amicorum iudicio examinare, inprimis tuo. Proinde, si quando nunc intende libro, quem cum hac epistola accipies: quia vereor, ne ipse, ut tristis, parum intenderim. Imperare enim dolori, ut scriberem, potui; ut vacuo animo laetoque non potui. Porro, ut ex studiis gaudium, sic studia hilaritate proveniunt. Vale.

#### XIV. C. PLINIUS ARRIANO SUO S.

«Graviora se studia distinguere lusibus, exemplo recitati poëmatum libri ostendit.»

Ut in vita, sic in studiis pulcherrimum et humanissimum existimo, seueritatem, comitatemque miscere, ne illa in tristitiam, haec in petulantiam procedat. Qua ratione ductus, graviora opera lusibus iocisque distinguo. Ad hoc proferendos et tempus et locum opportunissimum elegi; utque iam nunc adsuescerent et ab otiosis et in triclinio audiri, Julio mense, quo maxime lites interquiescunt, positus ante lectos cathedris, amicos collocavi. Forte accidit, ut eo die mane in aduocationem subitam rogarer: quod mihi caussam prae loquendi dedit. Sum enim deprecatus, ne quis ut irreverentem operis argueret, quod recitaturus, quamquam et amicis, et paucis idem iterum amicis, foro et negotiis non abstinuissem. Addidi, hunc ordinem me et in scribendo sequi, ut necessitates voluptatibus, seria jucundis anteferrem, ac primum amicis, tum mihi scriberem. Liber fuit et opusculis varius et metris. Ita solemus, qui ingenio parum fidimus, sacietatis periculum fugere. Recitavi biduo: hoc adsensus audientium exegit: et tamen ut alii transeant quaedam, imputantque, quod transeant; sic ego nihil praetereo, atque etiam non praeterire me, testor. Lego enim omnia, ut omnia emendem. Quod